Medicina

[redacted]

Zajączkowic Joannis: Quaestio medica de apoplexia. Cracoviae: Nic. Alex. Schedel. 1695.

IN NOMINE IESV CRVCIFIXI, AMEN.

QUÆSTIO MEDICA DE APOPLEXIA.

PRO LOCO
Inter Clarissimos Viros Inclytæ Facultatis Medicæ, in Almâ Vniversitate Cracouiensi, DOCTORES ac PROFESSORES OBTINENDO,

A


M. IOANNE ZAIĄCZKOWIC
Philosophiæ & Medicinæ Doctore,
S. R. M. Medico & Secretario,
Consule Cracouiensi.

PVBLICÆ DISPVTATIONI
in Lectorio Collegij Majoris,
CC. DD. Theologorum,
PROPOSITA.

ANNO DOMINI M. DC. XCV. DIE XVIII. MENS. APRILIS.

CRACOVIÆ
TYP: NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S, R. M. ORD. TYPOGRAPHI.

QUÆSTIO MEDICA



Apoplexia, quæ est, subitanea omnium actionum Animaliū, motûs ac sensûs; cum Principum Vitaliumq; facultatum læsione, abolitio: ob impeditum, in Cerebro; Spirituum, in organa totius corporis, influxum: à vitio Spirituum, Idearum, Fermentorum, & Humorum dependens. ex elicitis Indicationibus, triplici Therapeutico præsidio, Chyrurgiâ, Pharmaciâ, & Diætâ, sit curabilis, nec ne?

CON.

QUÆSTIO MEDICA



Apoplexia, quæ eſt, ſubitanea omnium actionum Animaliũ, motûs aç ſenſûs; cum Principum Vitaliumq; facultatum læſione, abolitio: ob impeditum, in Cerebro; Spirituum, in organa totius corporis, influxum: à vitio Spirituum, Idearum, Fermentorum, & Humorum dependens. ex elimorum dependens. ex elicitis Indicationibus, triplici Therapeutico præſidio, Chyrurgiâ, Pharmaçiâ, & Diætâ, ſit curabilis, nec ne?

CON.

CONCLUSIO I.

Apoplexia est ſubitanea omnium actionum Animalium, Motûs ac Senſus; cum Principum, Vitaliumq; facultatum læſione; abolitio.

COROLLARIA.

I. Licèt Apoplexia, ex vi nominis, a Græco ἀποτου ἀποπλήττειν, veluti fulmine percuſſione, deducatur, eâq; tacti ſyderari & ἀστροβλῆτι, quaſi inviſibili Numine percuſſi: motu, ſenſu, voce, ac penè omnibus facultatibus ſubitaneè deſtituantur: id tamèn ſoli Apoplexiæ, formaliter atribui non poteſt.

II. In Apoplexiâ actiones & facultates in tantùm afficiuntur, in quantùm Spiritus earum rectores in partibus alterantur, (ut in Concl. III. Coroll. III. videre eſt) nec ſui iuris ſunt, neq; ſpirituum emiſſariorum irradiationem, ad ſui reſarciendos defectus, a principijs diſpenſationis ſuæ, recipere poſſunt. Qvarè actionum, v.g. reſpirationis aut pulſus, aut aliarum Facultatum læſio, nullam parere poteſt in Apoplexiâ, formalem differentiam & gradum.

III. Apoplexia quantumvis, ex Hippocr: Aph: Sect. II. 42. in Levem ſeu Debilem, & Gravem ſive Fortem communiter tantùm dividatur. Tamèn ratione propriæ Ideæ, & gradûs in Levem, Gravem, & Graviſſimam, non malè divideretur.

IV. Apoplexia, Carus, Lethargus, Epilepſia, Paralyſis, Ephialtes ſive incubus, cognati affectus ſunt: nec differunt inter ſe, rátione ſubiecti immediati communis, & cauſæ. Differunt autèm, ratione partium, ſubiecti mediati; gradûs. determinatricis Ideæ, modi, & ſymptomatum: adeoq; Apoplexiæ prodromi vel pediſſequæ, hi affectus eſſe conveverunt.

V; Syncope & Hysterica affectio, cum Apoplexia licèt ratione subiecti immediati partium, & insiti Spiritûs, differre videantur: tamèn ratione subiecti immediati scil. Communis & Influi Spiritûs; tûm ratione symptomatum & signorum, maximam habent convenientiam. ideoq; & hi, inter morbos Spasmodicos, Cerebri & Nervorum non malè a Willisio numerantur.

CONCLUSIO II.

Apoplexia fit, ob impeditum in Cerebro Spirituum, in organa totius Corporis, influxum.

COROLLARIA.

I. Licèt Apoplexia materialiter seu subiectivè sit in Cerebro, nihilominûs subiectum eius immediatum & proximum, sunt Spiritus. Mediatum verò & secundariū Cerebrum cum suis partibus At eadem in impedito spirituum motu, influxu scilicet, & effluxu ac conturbatione: seu in impeditâ eorum adiatione; aut, extinctione, formaliter consistit.

II. Nontantûm Cerebrum, eiusq; Spiritus Insitus subiectum Apoplexiæ sunt: sedetiam aliæ partes corporis earumq; Spiritu, ac penè totum corpus humanum: adeò, ut Ens Apoplecticum saltìm secundariò in omnibus partibus residere videatur.

III In ventriculis Cerebri, ab eorum obstructione Apoplexiam fieri, creditum fuerat Antiquioribus; quod tamen recentiorum Anatomicorum & Practicorum sustulit diligentior observatio, eiusq; sedem; non in ventriculis Cerebri, sed in medullari eius, ac Cerebelli substantiâ esse evincere videtur ratio. Nobis tamèn placet totam Cerebri morem incusare.

IV. Quæ-

IV. Qvæcunq; ordinatam in Cerebro, eiusq; medullari substantiâ, corpore calloso; spirituum œconomiam vehementer interturbant, aut totaliter cōfundūt, ita vt transitum, & effluxum seu irradiationem eorū impediant, sive externa sivè interna fuerint. Apoplexiam facere consveverunt.

V. Quicunq; capite maiori, & laxâ figurâ, quám par est, prædiri; gravi & frequenti sopore, & præsertim à cibo, tentantur; illiq; collo breui, toroso, & obeso corpore, pigri; oculis tenebricosis, & ex aqueo turbidis, physi taurinâ vel bouinâ: circa regionem occipitis, frigiditatem, torporem, vertiginem, aut grauedinem internê sentiant, Apoplexiæ periculo non vacant. Quodsi verò Senes, Plethorici aut Cachectici, his saltim aliquibus fuerint obnoxii signis (ut multotiès physiognomicæ nostræ observationi patuit) certiùs hoc mali genere moriuntur.

CONCLVSIO III.

Apoplexia, efficienter à vitio Spirituum, eorumq; Ideis, dependet.

COROLLARIA.

I. In Spiritum primarió, ceu Principium vitale, ut Apoplexia; ità omnis recidit morbus. qui solus mortalibus vitæ, & ægris morborum, (ex sententiâ Diuini Senis Hippocr: Lib. de Flat-) author est.

II. Spiritus, si fuerint salibus terrestribus, & crassis immersi, fixi, obscuri, conturbati; nec ita facilé ex crassiori & viscidâ humorum parte euoluantur, inertes, torpidi, actionum edendarum impotes, ac ferè extincti: Apoplexiam causare consueuerunt.

III. Licèt communiter Spiritibus animalibus & Facultati animali, causa Apoplexiæ, attribuatur: nihilominùs

Spiritus in communi & absolutè sumptus facultatum author in corpore humano, eius in causâ est.

IV. Spiritus in tantummodò Insitos & Influos, rectè diuiduntur: ijdemq; Cælo, & Astris, prout genesim, Ita alogias, & anomalias debent. Atq; ideò, vitiosâ diathesi inductâ ut ex Coroll. V. sequenti præsentis, Concl. patet in corpore humano dictam Apoplexiæ Fortis & Mágnæ, si Insiti (quemadmodùm ex Astrologicis sæpè obseruare licuit) Debilis & Paruæ, si Influi afficiantur Spiritus: ludunt tragædiam.

V. Ideæ, spirituum instrumenta, ac veluti normæ: si Apoplecticam diathesim induant, ad eam inducendam, Spiritum specificè determinant, ac necessitate physicâ impellunt.

CONCLVSIO IV.

Non tantùm à vitio Spirituum, & Ideárum, verùm etiam a vitio Fermentorum, & Humorum, efficientia Apoplexiæ, dependet.

COROLLARIA.

I. Fermenta, si in Cerebro Spiritui Insito, in quâcunquè parte eiusdem, lentorem, narcosim, torpedinem, acorem &c, inducant; aliudvè quoduis fermentum concipiant, per totam Cerebri molem, suâ vi, ac odore saltìm disseminent ac imprimant, eius crasim corrumpendo: manifestè ad Apoplecticum affectum disponunt,

II, Fermenta corruptiua: acida, salsa, amara &c. si corruptionis gradibus acquisitis, sanguinem, lympham, succum neruеum; in meatibus Cerebri soluant, corrumpant, ac coagulent, Idiopathicæ. Si in quibusuis alijs corporis partibus, congelati; ac actiuis suis particulis corruptiuis imprægnati, lege circulationis in Cerebrum supradicti humóres

prove-

prevehantur influxum Spirituũ & effluxum conturbent, aut morentur: Sympathetica Apoplexiæ causã inducere possunt

III, Inter causas Apoplexiæ, Humores in censum veniunt; Sangvis, Lympha, & Succus Nerveus sive Nutricius (qui Synoviæ nomine Paracelsi, non ineptè venire potest) si copiosi aliquandó Spirituum normam secuti torpescant, ac congelentur, in Cerebri substantia : Apoplexiam causare consveuerunt, Quod uerò effusioni copiosi sanguinis in substantiam Cerebri attribuitur, id potius spiritui (qui Hippocrati solus ενορμον impetum faciens) irritato. : nisi id, á uasorum erosione, quod Fermentorum acredini debetur; uel ália violentâ externa causa proveniat; imputari debet, Quarè in Op: Tom I, De Apoplexia, Guttæ Paracelsi, causa Apoplexiæ, deciduæ: & hinc plebis fàbulæ, inter aniles relegandæ,

IV, Melancholia, Bilis, Pituita, ut cadavera sangvinis, lymphæ, à fermentorum supradictorum energiâ corruptiva & transmutativa vi producta, veriùs inter causas Apoplexiæ numerantur,

V. Insensibilis Transpiratio; si determinatricem offendat Ideam, inter causas Apoplexiæ, non postremũ meretur locũ, Hùc spectant Inspirata cúm àère miasmata, effluvia narcotica, Spirituum fixativa, & aliæ Res non naturales; Sed & Magnetica, & Antipathetica, ut in pluribus alijs morbis, ita & in Apoplexia, non sunt contemnenda.

CONCLVSIO V.

Apoplexia, ex elicitis Indicationibus, triplici Therapeutico præsidio, Chirurgiâ sclt, Pharmaciâ, & Diætâ, est curabilis.

COROLLARIA.

I. Apoplexia saltim Debilis, & Fortis, non autém Fortissima est curabilis: adeòq; Indicationes in eius tám

curati-

curatione, quà præservatione á subiecto & causâ Apoplexiæ desumendæ sunt, eæquè omnino tales esse debent, quæ respiciant Spiritus, earumque Ideas, Fermentà, &Humores.


II. Indicationibus tám Curativis, quàm Præservativis, in Apoplexià Debili, non autèm Fortissima (in qua tamèn æger ábsqué remediis non est relinquendus) satisfieri debet, triplici Therâpeutico præsidio: Chyrurgia. Pharmatia & Diæta.

III. Ex Chyrurgia; Apoplexiæ, tâm in eius curatione, quàm præservatione, occurrendum est, Venæ sectione; Hirudinum applicatione, Hœmorrhoidum àpertione; Vesicatoriis, Fricationibus & Cucurbitulis siccis, magnâ flammâ excitatis, Cucurbitulis scarificatis, Cucurbitâ magnâ capiti apposita; Cauteriis actualibus & ustionibus Nuchæ; V. stionibus; Punctionibus, & Vellicationibus partium extremarum Arctis ligaturis artiũ; Calefactionibus actualibus totius corporis, & præsertim capitis, Trepano; Iniectionibus; Chyrurgiâ Infusoriâ; Chyrurgia Transfusoria; Vellicationibus; & tractionibus capillorum capitis.

IV. Ex Pharmacia remedia, quæ spiritibus earumq; Ideis, & Fermentis aptè cõveniant? in triplici regno Vegetabili, Minerali, & Animali desumẽda: quæ spiritib9 motũ, vitã, & ordinẽ torpidis Ideis; ac Humoribus restituere; Fermenta compescere, & exaltata præcipitare, Insensibilẽ transpiratione, promovere; Magnetismos & Antipathias möderari possint. eaq; tám Simplicia, quám Composita, & ex his ád variás intentiones pro exigentiâ cáusarum accomodanda.

V. Ex Diætâ sex Res non náturales. præcipué, Aer, Cib9 & Potus, Somnus & Vigilia, Excreta & Retenta &c. in censu esse debent. Quæ suis indicationibus respondeant. Hæc ut & remedia Chyrurgica & Pharmaceutica adamussim explicare necesse non est sigillatim, cùm quæ singulis Individuis & Apoplexiæ differẽtiis cõmoda sũt, cuiq; prudens Medic9, cognitâ pri9 causâ, valebit cõcinare: iuxta illud Hip. Lib de Lege. Medicus, qui sufficiens est ad cognoscendum, erit quodq; sufficiens, & ad curandum.

PERMISSU MAGNIFICI D. RECTORIS.


DUBLET
Bib. Jag.